



an 23  
24

DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA  
DE  
STVPORE  
DEXTRI LATERIS  
ABSQVE MOTVS LAESIONE.

QVAM  
DIVINI NVMINIS AVSPICIIS  
CONSENSV GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE

PRAESIDE  
PRORECTORE FRIDERICIANAE MAGNIFICO  
VIRO ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO

DOMINO  
FRIDER. CHRISTIANO IVNCKERO

PHILOSOPHIAE ET MEDICINAE DOCTORE ET PROFESS. PVBL. ORD.  
FACVLTATIS MEDICAE H. T. DECANO,  
PAEDAGOGII REGII AC ORPHANOTROPHEI HALENSIS MEDICO  
PRACTICO CONSTITVTO

PRO  
GRADV DOCTORIS

SVMMSQVE IN MEDICINA HONORIBVS  
ET PRIVILEGIIS DOCTORALIBVS RITE CONSEQVENDIS  
D. VIII. MAII A. R. S. MDCCCLXX.

H. L. Q. C.  
PVBLICE DEFENDET  
AVCTOR

IOANNES GEORGIVS FRIDERICVS BÜCHNER  
SEEBACO THVRINGVS.

HALAE MAGDEBVRGICAE EX OFFICINA HENDELIANA.







V I R O  
ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO, EXPERIENTISSIMO  
ATQVE DOCTISSIMO  
D O M I N O  
D. IOANNI HENRICO ZOPFF,  
CELSISS. AC ILLVSTRISS.  
COMITIS DE REVSS,  
QVI PLAVIAE COMMORATVR,  
CONSILIARIO ET ARCHIATRO,  
PRACTICO GRAITZENSI FELICISSIMO, FAMIGERATISSIMO

NEC NON  
PATRI OPTIMO  
V I R O  
SVMME VENERABILI, AMPLISSIMO, DOCTISSIMO  
D O M I N O  
GEORGIO HENRICO BÜCHNER,  
PHILOSOPHIAE MAGISTRO,  
PASTORI SEEBACENSI VIGILANTISSIMO



H O C

SPECIMEN ACADEMICVM

V T

VENERATIONIS

GRATITVDINIS ET OBSERVANTIAE

MONVMENTVM

D.

D.

D.

IOANNES GEORGIVS FRIDERICVS BÜCHNER.





DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA  
DE  
**STVPORE**  
**DEXTRI LATERIS**  
ABSQVE MOTVS LAESIONE.

---



**PROOEMIUM.**

Qui, pro Doctoris gradu disputaturi, in medicos commentantur casus, vel a dignitate no- uitateque rei dicendae, vel inde, quod scien- tia medica ab obseruationibus non minus ena- ta, quam adaucta sit, praefaminis argumentum repetere so- leat. Virumque quidem pertriturum atque excussum. Ne- que etiam boni, quos dixi, oratores videntur satis perspice- re, quam parum quandoque haec, quae afferunt, ad com- mendandum scriptum valeant laudandumque auctorem.

A 3

Quod



Quod enim dicunt, Medicinae ortum et incrementum obseruatis deberi, eo quidem nil, quod sit veritati magis consentaneum, excogitari potest: id tamen in laudem vtilium obseruationum non solum cedit, quod sibi imaginantur, sed earum etiam, quae peruulgatae sunt. Atque hae, dum nascebatur Medicina, suam sibi omnino vindicabant laudem, eamque maximam, quod propius ad id pertinent, quod vulgo occurrit, quodque idcirco normae instar a Medicis habetur. Nunc vero, pomeroiis Medicinae latius extensis, vix quidquam ab illis potest, quo crescat Medicina, expectari. Quae etiam obseruata a raritate primo dignitateque propius distabant, adeo possunt, adulescente hominum aetate, frequenter occurrere, vt nouitatis demum gratiam amittant, et vtilitate careant. Quapropter Medicina non ideo quidem ex obseruatis incrementa capit, quod sunt obseruata, sed quod *vel* inaudita inuisaue, in vtraque Medicinae parte, contigisse docent, *vel* obscuris lucem, incertis certitudinem, exploratis nouum splendorem adferunt. — Sed nec id saepe, quod primo loco superius commemorauimus, argumentum satis firmum deprehenditur validumque. Non est enim quisquam facile adeo inuita Minerua natus, vt ne posset haec, quae etiam sunt vulgaria, sic quandoque detorquere, vt raritatis dignitatisque speciem prae se ferant. — Quid vero ego? casum propono, quem singulari egregii cuiusdam atque celeberrimi Practici fauori debeo, qui docebit 1) pulcre eos errare, qui ex obseruata plenaria sensus in parte quadam abolitione, cuius tamen superest motus, colligunt, neruos inter sensorios et motorios discrimen statui debere; 2) dari in neruis vitium, quod hemiplegiae quodam modo responder; 3) verissimum esse, quod dixerunt quidam, vitia neruorum difficillime plerumque extirpari. Sed en casum ipsum!

HISTO.



## HISTORIA MORBI.

Sexagenarius quidam, temperamenti melancholico-cho-  
 lerici, spissitudine humorum iam diu laborans, et, in mune-  
 re sacro cum esset constitutus, saepe aëris inclementiae se ex-  
 ponere, obque visitationes aegrorum necessarias saepe tran-  
 spirationis curam negligere coactus, hoc ipso anno, ineunte  
 vere, meum petiit consilium. Visitauerat die praecedente  
 aegrotum quendam, regnante aëre humido et frigido, intra-  
 uerat cubile ultra modum calidum, et sudore madens domum  
 reuersurus, denuo se aëris humidi et frigidi iniuriis debue-  
 rat exponere. Nihil mali inde sensit illo die, sed altero die  
 post somnium quietum euigilans, sensit stuporem et insensibi-  
 litatem omnium partium dextri lateris a vertice usque ad  
 calcem, ita, ut acu pungi possët sine dolore. Interim facul-  
 tas mouendi partes affectas neuiquam laesa erat. Scripsit  
 enim ad me sua manu historiam mali, et ego, ne minimam  
 quidem differentiam chiographi ab antecedentibus agnosce-  
 bam. Adhibuimus sine mora calidissima remedia, quorum  
 vis singularis in tali casu, ex multis aliis morbis huius ge-  
 neris mihi satis nota erat. Fortiter fricabantur partes affe-  
 ctæ cum pannis laneis, et cum pectinibus seraceis satis ru-  
 diter tractabantur, applicabantur insuper vesicatoria magna  
 ad brachium et firam affecti lateris, medicamenta diapho-  
 retica cum decoctis calidis largiter assumebantur, et omnino  
 nihil negligebatur, quod in similibus casibus decantatae utili-  
 tatis est. Ipsa sanguinis missio, licet minus leuaminis pro-  
 mittens, adhibebatur. Sed omnia incassum. Malum perti-  
 naciter adhuc inhaeret toti lateri dextro. Ceterum bene va-  
 let, fungitur officio sine molestia, exercet corpus equitando  
 et ambulando, vesibus satis munitus bene fert iniurias aëris,  
 in summa, malum ipsi satis leue uidetur. Metuit tamen, ne  
 olim



olim data occasione ad nervos maiores transeat morbus. Qui certe metus vanus esse non videtur.

## §. I.

*M o r b u s.*

*Stuporis* voce sensus vel abolitio, vel decrementum, fanitati non respondens, indigitatur. Dicit BOERHAAVE (*de Morb. Nervor.* pag. 689.): *Stupor ablatam sentiendi vim significat, qui si in Paralyfi adsit, est pessimum signum.* GAVBIVS contra ea tactus, inquit, aut valde immunitur in stupore, aut plane aboletur. Vid. EIVS *Institut. Patbol. med.* §. 693. Proprie dein solent Medici ad tactum solum referre stuporem (GAVBIVS l. m. c.); neque enim auditur facile, coecos surdosque oculorum aut aurium stupore laborare. Quae ergo cum ita sint, non potest facile dubitari: adfuisse in aegro stuporem dextri lateris, motu eiusdem illaeso.

## §. II.

*Sedes morbi.*

Cum tactus, aequae ac reliquae sensationes, quae inde a corpore proficiuntur, nervis tribui debeat: stuporis, quod vitiatum tactus speciem sinit, propria sedes erunt nervi. Occurrunt verò, in explicanda ea affectione, nervi tam cutis, quam musculorum. Nec diffidendum, posse, quem dixi, morbum, in utriusque locum obtinere. In aegro tamen, cuius statum enarrauimus, immunes fuisse musculorum nervos, ex integritate motus patet. Enimuero qua factum esset ratione, ut, his tactis, vis motrix potuisset in musculis adeo constanter superesse? Quod quidem eo maiori attentione dignum, quo certius ex HALLERI observatis constat, peruis summam esse in musculos voluntarios potentiam, multo saltem ea maiorem, qua musculorum inuoluntariorum vim sustinent



stinent atque robur. Quando denique a veritate non est alienum, quod quibusdam visum est (DIEMERBROECKII *Anat. Libr. VIII. Cap. I.*), requiri nempe ad motum maiorem, quam ad tactum, nervorum integritatem, cuius quidem rei examine superfedeo: possumus tunc, ex observata hic, abolitio licet tactu, muscularis motus naturali conditione, eo maiori cum securitate cutis nervos solum affectos esse colligere.

§. III.

*Ergo morbus paralysis dici nec potest, nec debet.*

Quidam ablatum eiusmodi tactum paralyfi, quam spuriam nominant, accenserunt. Minus id quidem bene. Attendant scilicet, in definienda paralyfi, non vim solummodo muscularem, sed sensum quoque; cumque observent, *modo* motum perire cum sensu, *modo*, superstitie vno, alterum destrui, quando paralyfis obtinet: illam quidem *veram & perfectam*, hanc *spuriam & imperfectam* nuncupare solent. Si que speciem tantum sequaris: videntur quoque hae, quas diximus, paralyseos species veterum Medicorum auctoritate constitui posse. Vi vocis enim paralyfis *nervorum resolutionem* i. e. impotentiam, magis minusve magnam, indicat, ad quam sine dubio insensibilitas referri debet; hincque omnino factum, vt Medici, paralyfin definientes, sensum respexerint. Cum vero non minus legerint, Veteres, paralyfis mentionem iniicientes, arbitrari, motus tunc media, nempe musculos, horumque vim motricem laborare: contigit inde, vt, de paralyfi differentes, motum musculorum non solum non neglexerint, sed maiorem etiam eius, quam quidem sensus, rationem habuerint; licet quidam, quod non negandum, fuerint, qui nervis paralyfin tribuerint, vocis origine potius decepti, quam auctoritatem sequentes. Quam male vero, his licet ita comparatis, nervos hic attendi, vnicuique facile innotescet, si

B

con-



consideretur, quod diu iam animaduersum, Veteres nempe *nerui* vocem longe alia, quam quidem hodie fit, ratione vsurpasse. Innuunt enim per neruos lacertos, tendines eorumque fibras (BOERHAAVE l. c. pag. 2.), hinc motus instrumenta, eos, quos nunc nominamus neruos, ad venas referentes. Vid. quoque BONETI *Theaur. medico pract.* Tom. I. pag. 1746. Atque sic, vel retento proprio, qui ab origine deducitur, significatu, paralysis resolutionem earum partium, quae motui inserviunt, denotat; veraque paralysis essentia in motus muscularis impotentia latet; nec oportet ideocirco Medicos, insensibilitatem solum obseruatam paralyticis accensere affectibus. Quod praesentem imprimis attinet casum, cum sedes morbi in cutis potius, quam musculorum neruis constitui debeat (§. anteced.), atque paralysis musculis proprie inhaereat, quod docuimus: stuporem, hic obseruatum, multo minus paralytin nuncupare licebit.

## §. IV.

*De neruor. sensor. et motor. discrimine.*

Cum Medici obseruarent, fieri quandoque, vt vel, motu superstitite, sensus deleatur, vel, hoc integerrime constituto, ille deleatur: quidam hinc collegerunt, dari duplicem neruorum speciem, motorios nempe atque sensorios. Quod si enim (sic putabant) nerui motorii atque sensorii vnus eiusdemque existerent indolis: sequeretur hinc, vt, sensu partis, v. g. brachii, delero, eius non minus deleatur motus, et v. v. Confer. BOERHAAVE l. c. pag. 713 seqq. Verum sat facile ad haec responderi potest. Manifesto scilicet ponunt, in casibus, quos adferunt, vnam plane eandemque semper partem sic laborare, vt modo motus, relicto sensu, modo sensus superstitite motu, deleatur. Quod vero egregie est falsum. Motus, quem hic volunt, solis musculis, sensus contra ea tam muscu-



musculis, quam cuti adsignari potest. Nunc ergo, si ponatur, nervos cutis premi, occalescere etc.: sensus *cutis* superesse nequit, quamvis motus musculorum sanus sit integerque. Quando contra ea nervi musculorum sic adficiuntur: delebitur motus muscularis, manente simul cutis sensu, ut etiam quandoque dolere queat. — Dein non satis attendunt, posse motum muscularem deleri, licet nervi a vitio sint immunes. Nonne tunc, destructo licet motu, supererit sensus? — Neque magni momenti mihi esse videtur, quod BOERHAAVIUS l. c. p. cit. et seq. vrget. Pono, inquit, ad *hummerum, brachium, metacarpum, digitos* deferri quinque *neruorum paria, et sextum accessorium; si examinentur illi nervi, nil distinctionis in iis apparet; hi nervi ex hac sextuplici origine abeunt in duas partes; una desinit in rete MALPIGHIANVM, papillas tactus regens; altera tantum impenditur musculis; quam ergo illi nervi ab eadem origine veniant, quomodo functio in vno potest aboleri, et permanere in altero? Quare manet sensus integer, dum aboletur motus? puto hanc rem nondum bene esse expositam. Nil vero facilius. Quum enim nervi, in singulari quadam parte, affici queant: in diuisione neruorum *quidam* laborare, *quidam* immunes esse possunt. Plura de his disseruit PATRVS MEVS, quem post fata deuota adhuc mente veneror, in Dissertat. de *Paralyfi sine neruorum et arteriar. laesione*. Praeprimis autem stupor, quem in aegro nostro obseruatum esse docuimus, cuique similem nescio an vnquam obseruarint Medici, docere potest, nil facere stuporem, sine motus laesione obuientem, ad stabiliendum discrimen nervos inter sensorios motoriosque. Diximus enim, eum soli infedisse cuti (§. II.).*



## §. V.

*Caussa proxima.*

Defectus huius illiusve sensationis *vel* applicandi stimuli defectui, *vel* impeditae eius in nervos actioni, *vel* demum nervuorum conditioni, qua recipiendae stimuli actioni impares euadunt, debetur atque adscribi debet. Stupor, siue generatim consideretur, siue in aegro pensitetur, quem diximus, cum morbus aestimetur (§. I.), defectum applicandi stimuli agnoscere causam nequit. Nec defuerunt certe stimuli, satis quoque potentes, in aegro nostro, quos tamen nullo modo percepit. Quod impeditam stimulorum in nervos actionem attinet: ea quidem vera quandoque stuporis causa existit, atque obrinet, quando, ut exemplo utar, epidermidis callositas praesto est (GAVBIVS l. c.); at is, quem descripsimus, stupor hinc repeti nequit, cum nil adfuerit, quod potuisset stimulorum actionem impedire. Restat itaque, ut hunc nervuorum conditioni tribuamus. Dantur autem varia nervuorum vitia, quae huc referri possunt, quaeque GAVBIVS l. c. pulcre recenset. Quod si tamen perpendas, stuporem istum retropulsos demum sudores excepisse: non dubitabis, quod materia sudoris, collecta circa nervos, hos sic *presserit*, ut anima hinc stimulorum non potuerit actionem percipere. Potuit porro haec pressio, causa stuporis, vel in origine nervuorum et progressu ad cutim, vel in hac ipsa contingere. Prius assumi hinc nequit, cum aeger morbum adeo facile ferat, quod fieri certe non posset, si vel sensorium commune et cerebrum, vel medulla aut oblongata aut spinalis pressionem sustinerent. Quare sola cutis pressione illa laborat. Sicque causa proxima stuporis, in praesente aegro observati, est *materia sudoris, delata ad cutim, sicque eius nervos premens, ut mutatio, ab applicatis hisce nervis stimulis, cuti impressa, non potuerit ad sensorium commune propagari.*

## §. VI.



## §. VI.

## Causae remotae.

## 1. praedisponentes.

Proposita sic causa proxima mali, in aegro nostro praesentis: ad inuestigandas causas remotas properamus. Occurrunt hic primo *praedisponentes*. Praeunte casu, huc referri possunt: 1. *Aetas*. Satis enim constat, senes neruorum vitiis, quae imminutae eorum actioni debentur, apoplexiae, catarrho suffocatio, affectibus soporosis, paralyti et s. p. facillime obnoxios fieri. Defectus satis elaboratae lymphae, ipsaque, neruis demum inducta, rigiditatis labes his vitiis ansam praebent. Non possunt ergo non dispositionem quoque, stupori fauentem, corpori inferre. 2. Auxit hanc dispositionem *temperamenti*, quod melancholico-cholericum erat, ratio. Huic enim rigiditatis sanguinisque spissi species satis est familiaris. Rigiditas vero aucta insensibilitatem, spissitudo sanguinis stases, collectiones fluidorum neruorumque demum compressiones producit. Quare eiusmodi temperamentum, quale diximus, a dispositione, ad neruorum insensibilitatem stuporemque, propius abest. Accessit 3. *morbosa humorum spissitudo*. Quamuis enim ipsi, quo gaudet aeger, temperamento spissitudo sanguinis aliorumque fluidorum solennis sit: ea tamen morbosa nondum dici potest, nec tanta est, ut functiones turbet. Adnotata ergo in historia morbi humorum cohaesio maior, cum pro morbosa haberi debeat, dispositionem illam (n. 2.) grauiorem reddidit. Non solum enim sic, a stagnantibus humoribus spissis, neruorum compressio eo facilius effici potuit, sed retrogressa quoque perspirabilis materia eo celerius statim concepit, stuporemque produxit. 4. *Frequens transpirationis neglectus* dispositionem induxit ad morbos, ex retrogressio iudore oriundos, ad quos stuporem quoque referri debere, ex di-



sputatis §. anteced. intelligere possumus. Praeterea hinc factum, ut cutis (cum Natura quandoque suis soleat moliminibus materiam eo pellere, quorsum retropulsa est) eo facilius dein a stupore affici potuerit. 5. Nec vitae ratio negligi debet. Ut enim plures alii morbi, sic nervorum imprimis vitia, in eruditos facile cadunt. Denique 6. frequentius forsitan *humido sese aëri* exposuit aeger, quo ipso factum, ut collectiones stasesque fluidorum in cute inque vasis nervorum, illam aduentium, contigerint. Atque haec de causis praedisponentibus. Sequuntur occasionales.

### §. VII.

#### 2. *Occasionales.*

Quorum numerum subeunt haec: 1. *Calor cubilis nimium auctus.* Is enim *primo* humores magis magisque ad cutim deriuavit, *dein* spissiores reddidit tam per suam ipsam naturam, quam per adauctam nimium transpirationem. 2. *Retropulsio sudoris.* Quando enim sudor retropellitur: *vel* aliae sat cito ipsi analogae excretiones adaugentur, ut aluina excretio, diuresis atque similes; *vel* infertur statim materia huic illiue visceri aut parti, vnde hydropes, mala cerebri etc. oriuntur; *vel* demum, relicta in sanguine, cordis arteriarumque vi propellitur, vsque dum, critico quasi motu, varia ratione quibusdam instilletur partibus. Primum euentum hic sine dubio impediuerunt dispositiones subiecti (§. anteced.); secundum bona caeteroquin constitutio, rigiditas cellulosa, inspissatio fluidorum & causae praedisponentes, antea recensitae. Tertius itaque supererat, patetque ex §. antec. quare cutis eo prae caeteris partibus affecta sit. Quodsi nunc cutis laxa exstiuisset: critico hoc contingente motu damnum, aucta perspiratione, praecaueri potuisset. Frigoris tamen admissi mutatio, cutaneis vasis impressa, paullo diu-



diutius perstitit, sicque factum, ut materia sudoris ad cutim quidem propulsa, eius vero euacuatio, ob permanentem constrictionem et fluidorum forsitan inspissationem, impedita fuerit, sua dein pressione stuporem (§. anteced.) inferens (§. V.). Docet quoque historia morbi, stuporem istum, post factum demum criticum quasi motum ad cutim, abortum esse. Quando enim materia perspirabilis, cuius euacuatio impediabatur, in cute *relicta* potius, quam ipsi critiche *illata* esset: debuisset stupor actutum oriri, qui tamen, elapso demum tempore quodam, obseruatus est. Nox interea placida, qua gauisus est aeger, indicat, motum istum sat placide contigisse; turba enim maior, in solidis fluidisque praefens, non potuisset non somnum interrumpere.

## §. VIII.

*Scholiön.*

Atque sic, ex cognito caussarum praedisponentium et occasionalium concursu, ea, quam nobis licet in his rebus adipisci, certitudine perspiciamus, quo modo exortus sit stupor, dextrum latus in aegro nostro occupans. Qui interea omnia, quae allata sunt, accurate et abiectis, quae alios seducunt, praeconceptis opinionibus perpendit, facile is intelliget, non potuisse haec, quae dicta sunt, ad mathematicam certitudinem euehi. Quem enim fugit, non sufficere, quando eiusmodi certitudo aetiologiae morborum adici debet, ut demonstretur, hoc illud fieri *posse*, si haec illaeue caussae adsint, aut, ex his praesentibus, maxime *probabili* ratione, ortum duxisse? Requiritur potius, ut accurate demonstratur, *non potuisse* vllum alium affectum ex iis, quas suppeditat historia morbi, caussis exoriri. Raro autem vel numquam Medici, in perscrutandis morborum obuiorum caussis occupati, adeo sunt felices, ut ad hoc certitudinis fastigium procedere



cedere queant. Ut enim plura alia omitam: adeo paruae, adeo subtiles saepe sunt corporis conditiones, quandoque etiam adeo innumerae, quae huic potius, quam illi morbo fauent, vt Medicus eas eruere nequeat. Exempla haec illustrabunt. Docuit obseruatio, in subiectis plethoricis plura mala ab incalescentia oriri, apoplexiam, paralyfes, conuulsiones et spasmos varios, febres continentes, inflammationes, haemorrhagias etc. Nunc occurrat eiusmodi aeger, hoc illoue morbo, ex his, quos dixi, detentus: optime sane ex plethora eiusque commotione intelliges morbi ortum; non licebit interea affirmare, originem morbi mathematice demonstratam esse. Cum enim plures morbi a plethora commota progigni queant: variae simul in diuersis subiectis, conditiones praesentes esse debent, quibus demum fit, vt hic illeue potius, quam alius, effectus oriatur. Atque has dixi (idque attendenda consideratio docet) adeo sunt subtiles saepe et innumerae, vt eas nec accuratissimus obseruator perfecte cognoscat. Corroborat historia, quam suppeditauius, praedicta. Licet ex adductis (§§. VI. VII.) ratio ortusque huius stuporis intelligatur: est tamen in his, quae diximus ea de re, lacuna, quam explere non ausim. Potuissent nempe ex iisdem caussis, quas recensuimus, mala oriri, sat vel a stupore diuersa, vel ab eo saltem, qui corpus aegri occupauit. Non permisissent limites scientiae nostrae horum omnium in aegro impossibilitatem, atque eius, qui vere obseruatus est, stuporis *necessitatem physicam* euincere. Quae si cuius fuerit, de mathematica demum certitudine gloriari possemus. Nunc vero dicta longe ab ea distant.



## §. IX.

*Paralysis ex frigore.*

Quantum interea frigus sudorisque suppressio, ad producendos morbos neruorum, in praedispotis subiectis, valeat, sequens, quam protinus describam, historia, quamque *Celeberrimo Viro*, supra laudato, non minus debeo, docere potest: „Femella iuuenis, VII. menses grauida, die frigidissimo Decembr. mensis cum marito iter vnius horae fecit, inuitata a Nobili quodam ad prandendum. Capilli erant eleganter comti, et caput contra frigus ne minime quidem munitum. Redux lipothymia breui corripitur, placide tamen dormit, et hinc negoria sua domestica curatura, leuiter tecta, brachiis, indusio solo velatis, per domum vagatur. Corripitur paralyti dextri lateris: Sensus et motus brachii et pedis deerant, nec loqui poterat. Medico vocato tardius accedente, maritus venae sectionem fieri curat; Medicus vero adueniens vetat, dicens hoc non nisi leuem frigoris impressionem esse mox cessaturam. Ego vero hac de re certior factus, rescribo: esse veram hemiplegiam, et methodum medendi addo. Maritus territus hoc enunciat, vt ipse accederem, per nouum nuntium enixe petit. Adueniens video aegrotam, facie rubicundissima, pulsu forti et duro, et patiens nec mouere brachium vel pedem, nec dicta mea intelligere poterat. Haec, sensorii obrui testimonia, metum verae apoplexiae accessurae faciebant. Sensorium quam citissime liberandum erat. Me iubente sanguis mittebatur ad vnc. sedecim, ad brachium et suram valida vesicatoria, et ad vtramque pedis plantam sinapifini applicabantur etc. His reuellentibus arcebat apoplexia, rubor faciei et durities pulsus minuebantur, mens ad se redibat et exhilarabatur, loquela etiam aliquantulum reuertebatur, non vero motus et sensus partium. Continuabantur stre-

C

„nue,



„nue omnia externa; interne dabatur pulv. de Aconit.  
 „Stoerckii, et Pitfana ex Rad. Chin. Scorzon. et laxantia an-  
 „tiphlogistica crebra. Post paucos dies cerebrum liberatum,  
 „sanguinis furor sopitus, loquela et sensus partium paraly-  
 „ticarum restitutus erat. Tunc addebantur neruina: e. g.  
 „Tinct. antimon. tartarif. drachm. vj. Spir. C. C. volatil.  
 „drachm. ij. M. D. ad 40. gutt. quater quouis die. Simul  
 „balnea mineralia, et his deficientibus, balnea ex formicis,  
 „aut herbis neruinis crebro adhibebantur. His omnibus tan-  
 „tum non plenarie sanata est, restat tamen debilitas generis  
 „neruosi et sensus grauitatis in brachio affecto. Speramus  
 „adhuc perfectiorem sanationem. Sed partus nunc proxi-  
 „me instat.”

## §. X.

*Curatio.*

Vt morbi neruorum generatim his similes esse depre-  
 henduntur, qui fibris muscularibus, qua talibus, insunt: sic  
 stuporis quoque curatio non multum a paralyseos medela  
 abhorret. Primum locum hic obtinent *irritantia*, tam exter-  
 na, quam interna, quorum in vsu tantum cauendum, ne  
 causam quandam, quae stuporem induxit, augeant. Ex-  
 ferunt eiusmodi irritantia salubrem effectum, quod 1) vali-  
 da irritatione sopitos et fere extinctos neruorum motus re-  
 uocant; quo impetrato non poterit non stupor euanescere;  
 2) discussionem humorum stagnantium efficiunt; vasa enim  
 tam aduehentia, quam reuehentia quaedam sollicitant, vt  
 fortius celeriusque sese contrahant. Atque hac ratione sta-  
 sin humorum, stuporis quandoque causam, tollunt. 3) Spis-  
 sa resoluunt. Sunt enim in irritantium numero non solum  
 vere resoluentia, sed sola etiam vehementior irritatio, mo-  
 tum vasorum intendendo, spissa resoluit. Nunc vero stasis  
 spissio-



spifforum liquidorum stuporem interdum producit; 4) excretionem intendunt. Poterit scilicet motus vasorum, fluidorumque intensior, irritatio partis, quae humores allicit, spifforum denique resolutio languorem excretionum, praecipue cutaneae, tollere. At languentes excretionem stuporem quandoque inducunt. Quare simul ex his utilitas irritantium in aegro nostro perspicitur.

## §. XI.

P o r r o .

Irritantibus adiungi, in curando stupore, debent, quae causis remotis tollendis paria sunt. Missis reliquis, ea consideramus, quae aegrum, cuius historiam proposuimus, respiciunt. Suppressio excretionis cutaneae humorumque spiffitudo praecipuae erant stuporis, in illo obseruati, causae remotae. Patet itaque, diaphoreticorum calidorumque remedium utilitas. Vtraque enim excretionem cutaneam non solum intendunt, sed resoluunt quoque atque irritant (§. X.). Senectus, temperamentum, morbus ipse indicant, nil ab eorum usu hic metuendum fuisse. Nocuissent omnino in plethorico, iuvene, cuius sanguis commotus.

## §. XII.

*De V. S. et mach. electr. aliisque.*

Cum historia morbi nec plethorae aegri, nec commotionis sanguinis, in eo factae, signa prodant: omnino venae sectio nullius usus existere debuit. Nonne vero machina electrica, irritans, resoluens, discutiens, conducere potuisset? Respondit mihi, hanc quaestionem proponenti, *Vir Celeberrimus*, qui historiam mecum beneuole communicauit: deterruisse ipsum NOLLETI tentamina. — Huc quoque spectant



Cicuta, Aconitum. Nonne tentandum, quid prodesse possint?

§. XIII.

*Difficultas curationis et prognosis.*

Mirandum interea, quod tam potentia remedia, in recenti malo usurpata, leue tantum emolumentum attulisse visa sint. Aetas forsitan aegri, spissitudo humorum, vasorum denique, quibus stagnantes humores insunt, teneritudo huius phaenomeni causae sunt. Nunc diurnitas mali eas auxir. — Neque omnino apoplexiae metus inanis est. Vitii enim neruorum languescentium iam enatis, non adeo magna causa occasionalis paralytes ipsamque etiam apoplexiam inferre valet. Accedit vitae ratio, quae admittendis causis occasionalibus maxime patet.

T A N T V M.



CAN-



CANDIDO DOMINO CANDIDATO  
 DIGNISSIMO BÜCHNERO

S. D. P.

P R A E S E S.

Verissimum est *Celsi* effatum: *Raro medela fallit, quem non  
 fefellit caussarum indagatio*; hinc fructuosum est institutum, si  
 morborum caussae accuratius peruestigantur. *Stuporis* particu-  
 laris, affectus vrpote rarioris, caussae huc vsque nondum satis  
 euictae sunt, quare vtilem suscepisti laborem, vt in huius mor-  
 bi aetiologia eruenda in *Disputatione Tua* occupatus fueris.  
*Hoc itaque egregio specimine concludis et coronas curriculum  
 Tuum, Candidate dignissime*, academicum, quod totum sane  
 laudabile est. Non solum enim perpetuam diligentiam in omni-  
 bus medicinae partibus addiscendis adhibuisti, sed bonorum  
 quoque morum et virtutum exercitium *Tibi* semper familiare  
 fuit. Gratulor *Tibi, Candidate honoratissime*, cui contigit felici-  
 tatis sub fideli manu ductione B. Patru, *Magni* olim nostri  
*Büchneri*, ad lauream perueniendi dignitatem, qua ornandus  
 es. Quamquam vero eximio hoc Praeceptore vsus sis, aliorum  
 tamen Docentium Lessionibus quoque assidue interfuisti. Ex  
 meo ore percepisti *Chemiam* et *Medicinam clinicam*: neque  
 possum silentio praeterire *Te, Amicissime Büchnere*, in facien-  
 da medicina me duce indefessum fuisse. Didicisti ergo ex praxi,  
 quam difficile saepe sit caussarum scrutinium. Cum vero in in-  
 dagandis caussis morborum multum et per aliquot annos in  
 collegio meo clinico exercitatus sis, confido *Tuas medelas, se-  
 cundum Celsi* effatum, *raro fore fallaces*. Faxit *Deus*, vt sis  
 Parentibus gaudio, generi *Tuo* decori et multis aegrotantibus  
 solatio. Dab. Halae I mo Maii 1770.

C 3

PRAE-



---

 PRAENOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO

B V C H N E R O

S. R. D.

PHIL. CASP. IVNGHANS.

Quamuis quidem *Te, Amice Praestantissime*, partim ob contubernalitatis amicitiaeque vinculum, quod per decem fere annos inter nos floruit, partim ob animi et ingenii *Tui* excellentiam semper dilexerim; nunc tamen, cum in eo es, ut, *Dissertationem Tuam* inauguralem ab Opponentium telis defensus, cathedram conscendas, mihiqve dissentientis spartam demandaueris, amicitia nostra tanta exinde accepit incrementa, ut *Te* demum amem necesse sit. De hac vero re ut certissimum *Te* facerem, simulque gratissimam mentem *Tibi* publice demonstrarem, hanc epistolam velut comitem adiungam vortuasque *Dissertationi Tuae* tabulas suspendam. Restat, ut *Tibi* de summis in Medicina honoribus, ex merito in *Te* propediem conferendis, ex animo gratuler; ut impostero etiam felicem successum *Tibi* adprecer et vltiori me *Tuae* amicitiae quam maxime commendem. Ita vale, *Amice exoptatissime*, et me amare perge. Dab. Halae d. viii. Maji MDCLXX.

CAN.



CANDIDATO PRAENOBILISSIMO

B V C H N E R O

S. D. P.

ERN. LVD. HEIM

STVD. MED. OPPON.

Quartus iam circumagitur annus, ex quo *Tuam* in familiaritatem perueni; quo tempore in *Te* semper eum cognoui, quem non solum, ob plane suas peculiare ingenii dotes, admiratus, sed etiam ob Patruum, Virum olim celeberrimum, valdopere veneratus sum. Quum nunc in eo est, ut cathedram conscendas, non possum, quin *Tibi* ob Doctoris dignitatem mox conferendam gratuler. Sis itaque *Tuis* delectamento, aegrotantibus vero solatio. Vale, *suausissime Büchner*e, et persuasum *Te* habeas, me ad quaelibet *Tibi* praestanda officia esse paratissimum. Raptim scripsi.  
Halaë, d. vii. Maji, MDCCLXX.

PRAESTANTISSIMO BÜCHNERO  
AMICO OPTIMO

S. P. D.

IO. ADOLPH. BAMBACH

MOENO-FRANCOFVRTENSIS,

SEMINARII THEOLOGICI SENIOR.

Egregium sane est ac laudabile institutum a maioribus ad nos propagatum, ut nullus artis medicae munere dignus iudicetur, nisi qui  
prae-



praemisso examine, ut aiunt, rigoroso, scriptionem proprio Marte exaratam, publice exhibuerit, eamque defenderit. Pergratum exinde mihi fuit, *amicissime Büchnere*, cum ex *Te* audirem, huius instituti leges ex parte *Te* iam expleuisse, eamque ob rem velle, ut litteras disputationi, quae iam sub prelo sudat, adiungendas scriberem. Quas eo lubentius *Tibi* exhibeo, quo magis sperandum est, *Te* fore in defendenda *Tua* causa sic probaturum, qualem boni fere omnes *Te* hucusque et cognouerunt et habuerunt, id est, Virum in arte medica bene versatum ac doctissimum. Prosequaris igitur istud animi *Tui* egregii propositum et ascendas cathedram; descendas autem ut spero ac iure sperandum est cum adplausu omnium. Sis memor, dum haec agis, immortalis *Tui* Patru*i* *b. Büchneri*, Viri perillultris ac celeberrimi, quem nos ambo patronum ac fautorem coluimus ac venerati sumus optimum, cuius forte memoria ad bene recteque faciendum *Te* semper excitabit ac inflammabit quam maxime. Sit *Tibi* exemplum, ad quod omnem Tuam vitam dirigas. Et si hoc debitum in *Te* susceperis officium, persuasum *Tibi* habeas, quemlibet illo amoris ac honoris cultu *Te* esse exornaturum, quo semper illud splendidum caput condecorarunt.

Sed quia litterae, ut ipse voluisti, breues tantum sunt, ista omnia, quae in *Tuas* laudes proferenda mihi adhuc restant, praeterire oportet. Faxit interea Deus, ut omnia cedant feliciter!

Gratulor interea Patri *Tuo* plurimum reuerendo. Pastori apud Seebacenses meritisimo, de filio patris amore ac nomine dignissimo. Gratulor splendidissimae Büchnerianae genti de cognato dulcissimi illius nominis, bene merente. Gratulor illis omnibus, qui *Tuum* auxilium in posterum et desiderant et implorant de Medico felicissimo. Gratulor denique mihi de amico, ex cuius familiaritate hucusque fructus collegi sane vberissimos. Sis denique et mei absens memor, hoc est, quod postremum abs *Te* peto atque expecto, Sic valè mihiq*ue* faue. Haec d. 4. Maii 1770.



Ua 4711

ULB Halle  
003 941 760


3




St.

12









B.I.G.

Farbkarte #13

DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA

DE

STVPORE  
DEXTRI LATERIS  
ABSQVE MOTVS LAESIONE.

an 23

24

QVAM  
DIVINI NVMINIS AVSPICIIIS  
CONSENSV GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE

PRAESIDE  
PRORECTORE FRIDERICIANAE MAGNIFICO  
VIRO ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO

DOMINO  
FRIDER. CHRISTIANO IVNCKERO


PHILOSOPHIAE ET MEDICINAE DOCTORE ET PROFESS. PVBL. ORD.  
FACVLTATIS MEDICAE H. T. DECANO,  
PAEDAGOGII REGII AC ORPHANOTROPHEI HALENSIS MEDICO  
PRACTICO CONSTITVTO

PRO  
GRADV DOCTORIS

SVMMSIQVE IN MEDICINA HONORIBVS  
ET PRIVILEGIIS DOCTORALIBVS RITE CONSEQVENDIS  
D. VIII. MAII A. R. S. MDCCCLXX.

H. L. Q. C.  
PVBLICE DEFENDET  
AVCTOR

IOANNES GEORGIVS FRIDERICVS BVCHNER  
SEEBACO THVRINGVS.



HALAE MAGDEBVRGICAE EX OFFICINA HENDELIANA.